

## Urkundenbuch der Reichsabtei Hersfeld. Erster Band (Ed. Weirich) Nr. 63

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Otto divina favente clementia imperator augustus. Omnibus cristianae fidei religiosis cultoribus ac regiae et imperialis excellentiae magnitudinem fidelitate debita iure honorantibus per subiectum adhibiti scripti titulum patere volumus, quomodo fidelis noster Werinharius Vuldensis ecclesiae abbas venerandus nostram adivit clementiam reclamando sese de altercatione quadam inter se et Gozbertum Heroluesveldensis ecclesiae abbatem saepius habita, eo quod ipse iam dictus abbas Gozbertus in fluvio quodam Hursilla vocato qui flurit in Lupinzgowe, a ripa ad ripam sine spatii intermissione gurgustium percutiendo hominibus suse ecclesiae ac sibi navalis cursus transmeatum vetaret. Proinde humiliter nostram precatus est magnificentiam, ut legatis ex nostris sacramentariae inquisitionis testimonio a populis in pago et fluminis antefati circa ripas habitantibus sciscitaretur, possitne an non sibi ac suis decursus ille navium fluvii superius scripti per alveum secundum legem a praedicto abbate prohiberi, et sic per attestationem illorum relatus terminus litigio nostra auctoritate poneretur. Hanc itaque petitionem illius nos non renuentes inquisitionis et amovendae litis causa illuc delegando nostros fideles, Deodericum videlicet Mettensis ecclesiae episcopum et Hildiboldum Wormaciensis ecclesiae provisorem, ac cum eis comites nostros Sigebertum, Sigefridum et Brunonem aliosque complures, quos ipse abbas Vuldensis Werinharius nomine in breve suo ai praesens ac futurum testimonium notatos secum tenet, comperta rei veritate ab eis, mutuam inter abbates litem interdiximus ac viam fluminis fractione gurgustii pandere iubentes, ut deinceps per illud navigantibus tantum spatii in itinere pateat, quod duae naves tripedalem mensuram in fundo habentes, ut neutra neutram tangat sibi invicem, sine palorum utrimque fixorum etiam tactu occurrere possint, nostra dominatione noviter statuimus ac nostrae auctoritatis praesenti praeceptione abbati praedicto Werinhario et hominibus ecclesiae Vuldensis cui praeest successoribusque suis viam per flumen antefatum perpetuo habendam concessimus, sicut a fidis relatoribus inter abbates, Hadamarum videlicet Vuldensis congregationis et Haganonem Heroluesveldensem, beatae memoriae Ottonem genitorem nostrum imperatorem augustissimum haec eadem fideli legatione fecisse comperimus. Et ut haec nostrae dominationis concessio firmior in futuris temporibus a cunctis fidelibus habeatur, hoc nostrae dominationis praeceptum inde conscribi manuque propria subtus notatum sigilli nostri inpressione iussimus assignari. Signum domni Ottonis invictissimi imperatoris augusti. Hildiboldus episcopus et cancellarius advicem Willigisi archicapellani recognovi. Data III kal. Ianuar. anno dominicae incarnationis DCCCCLXXVIII, indictione VI, anno vero regni secundi Ottonis VIII, imperii autem XII; actum Palide; in die nomine feliciter amen.